



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Princeps fortis & sapiens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

pretiosissimam imposuit; postea translata in coelum, & inter sidera septenis stellis fulgurantem.

Ethica.

I. (a) Theseus vir verè fortis, & acerrimus salutis publicæ defensor fuit. Quid enim sunt latrones, quid variæ belluæ à Theseo domitæ, in regnis & provinciis, nisi Turbatores pacis, & communis Boni eversores? Theseum ego magni animi Principem interpretor, qui primis à cunabulis tam fortiter quam sapienter facere doctus, nihil antiquius habet, quam quietem præstare subditis, vias à prædonibus purgare, potentiorum violentiam ab infirmioribus arcere. Qui, si taurus aliquis, aut aper ferus immineat, *Bellum* intelligo, præsentis animo ac consilio occurrat, antequam irrumpat. Qui disciplinam & honestatem morum ac legum tueatur, operamque det, ne juvenus (quæ est seminarium civium) Minotauro, monstro turpissimo immoletur, dum institutionis expers, vel ignavo otio torpescit, vel voluptate lasciva dissolvitur, vel nefariâ doctrinâ corrumpitur, & in tributum ore penditur.

Theseus pro charitate patriæ pericula suscepit, exantlavitque. Ad depellendas injurias necessariò arma sumuntur; & quemadmodum est modestiæ conquirere, nisi injuriâ affectus fueris; ita stultitia est & improbitas, illatas Reipubl. injurias non ulcisci. Plato. 5. de Rep. & Aristot. 7. Polit. c. 8. *Bellum autem*, inquit Tullius, r. offic. *ita suscipiatur, ut nihil nisi pax quasita videatur.* Neque frustra Athenienses Palladem armatam pinxerunt; quia qui desiderat pacem, præparat bellum. Armis imbueda juvenus in umbra, quibus utatur in sole. Theseus ab aspectu pellis leoninæ didicit in leones vivos insurgere, juxta illud Horatii epist. 2.

----- venaticus ex quo

Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in Silvis catulus.

II. (b) Meminerit Princeps (qualis Theseus fuit) fœdera non temerè cum quibusvis esse ineunda. Theseus societatem feliciter cum Hercule, quam cum Phithoo junxit. Ab hoc mutuam opem accepit; illi præstitit; nec satis prudenter; cum Centauris barbaris & ebriis pugnandum fuit. Valeant fœdera; sed quæ bona fide, bonâ causâ, & cum emolumento contracta. Est enim virtus unita fortior. *Non absque Theseo* (adagio dicitur) ne Hercules quidem. Et Theseus nihil sine Hercule; præsertim ubi

Plato

(a) *Principi fortis & sapiens.* (b) *Inconsilia fœderum Societas.*